Pium Officium,

QVO

SACRAM NOMINI DIEM

VIRI Magnif. Nobilissimi

DOMINI,

JOANNIS NAPS,

BURGGRABII REGII,

PRÆ-CONS. THORUNIENSIS

MERITISSIMI,

DOMINI SUI AC MÆCENATIS

HONORATI,

Colere debuit

Georgius Wachschlager.

THORUNII,

Imprimebat Johannes Cœpselius, Gymn. Typ.

ANNO M. DC. LXXII. D. XXIV. JUNII.

EUropæus hodie Orbis
Diversis agitatur animorum motibus;
Neq; ut qvondam:
Nihil usqvam turbidum aut discors
Qvisqvam exclamat:
Omnia turbata & discordia,
Omnium vox est!
Etiam hi,
Qvos hostiles invicem iræ in diversa trahunt,
Uno in hoc ore consentiunt.
Gallia,
More Ingenii humani,
Qvo plura habet plura concupiscit.
Inter epulas famem,
Inter pocula sitim
patitur.
Solâ fortunâ ebria,
In sua alienam lacrymatur;
Sed lacrymas
Exprimit Invidia.
Hortus iste
Exuberantem liliorum fæcunditatem
In aliud transferre solum gestit,
Augusta illius spatia,
Angusta videntur,
Postqvam illos Dominus vastis ambitionis terminis
Metiri cœpit.
Anglia.
Gallorum qvondam hostis,
Mox amica,
Et alienæ qvasi famula potentiæ,
Qvorum olim libertatem defendit
Nunc oppugnat.
Attonitus subito mutatam miratur Orbis:
gnarus,
Regnorum commoda
Tam præcipiti non converti Metamorphosi
Ut oppositis pareant prudentiæ Regulis.
Amant rosæ lilium,
Placet purpuræ candor;
Sed ignorant rosæ; qvod nimius liliorum odor
Capitis excitet dolores.
Batavi,
Gens libera, metuunt servitutem,
ab his,
Qvos propugnatores qvondam viderant;
Durat tamen animus,
Ut qvibus
Bellum infida semper pace potius.
Avitæq; Virtutis memores
Libertatem non nisi sangvine vendere decreverunt.
Leo iste.
Jubas concutit,
Ungves contemplatur,
Et ex cicatricibus adhuc veteris fortitudinis legit documenta.
Hispani
Batavorum ruinam
Suum credentes interitum,
In qvos olim

Aurum

Aurum & ferrum frustra consumserant
Ut vincerent,
Nunc expediunt
ut tueantur.
Admirandus rerum orbis,
Amici hostes,
Hostes amici;
Sed qvid miramur?
Si nihil sub sole novi.
Metuunt dubios Turcicæ Lunæ influxus
Cognatæ aqvilæ.
Nigra incertos,
Alba vicinos,
Utraq; varios;
Rostrum tamen Regales aves acuunt,
Frœnum Mahumetici furoris,
Qvod qvam durum mandere
Didicit
Ignarus divini humaniq; Juris hostis.
Captivas adhuc cernimus Poloni
Osmanne Lunas,
Et suspensa
In templo Victoriæ
Amurathes Cladis Tuæ signa.
Jam scandit Eqvos Iuventus generosa,
Habebis Viros perfide;
Nec deest Vladislaus,
Invisum Tuis nomen,
dulce nostris.
Ibit Michael,
Rex Poloniæ Serenissimus,
Ibit stipatus Heroum catervis
Et exercitu immortali,
Qvi nescit nisi cum Virtute mori;
Sed hæc vita est non mors,
Qvam pro Patriæ salute
Cives occumbunt generosi.
Tantos bellorum apparatus qvid seqvitur?
Potentes confidentia,
Infirmiores metus,
Utrosq; dubitatio.
Maxima tamen omnium pars angitur.
Ventura ut Præsentia,
Mala ut pejora,
Pejora ut pessima
fingunt.
Senes præteritorum memoria & Exemplis,
Juventuti nondum visa pavor in immensum
extollit.
Matres filiorum, qvos habent, jacturam metunnt,
Filii ante funus Parentes dolent,
Cuncti tanqvam Exulem jam & victam deflent fortunam.
Ego solus
In publico dolore ingratum dolori sentio gaudium.
Unde illud?
Ex Tuo Domine Natali.
Nunqvam hac die sol luxit
Ut me tristem viderit.
Nunqvam adeò trux fuit fortunæ facies
Ut meam vicerit constantiam.

Ergo

Ergo nunc demum
Laudatam mutabo consvetudinem?
Levitatis sit & imprudentiæ.
Fœminas lacrymæ decent
Non viros,
Virorũ est animos firmatos in omnem fortunam gerere,
Hic fortes probat casus.
Nec fatorum vis in exorabilis
Mollescit fletu vel aqvis,
Fatorum superes optime potentiam
Nihil agendo;
Sed gaudere satis non est.
Nisi gaudio jungantur munera.
Accipe ergo Coronam,
Cujus Circulus,
Longum annorum Tuorum Orbem tenet
Flores,
Qvidqvid usquam invenitur votorum,
Qvos ligavit inviecm
Amoris & obseqvii immortalis ligula.
Si enim vnquam [redacted] certè nunc vota effundere pro salute
Tua expedit.
Elatis nuper,
Heu qvam tristi funere!
Duobus Reipublicæ luminaribus.
Duri fortunæ ictus,
Qvam certè placare convenit
Ne in Socero & Genero,
Reliqvis Patriæ fulcris,
Crudelitatis suæ exerceat immodestiam.
Pauperis Musæ
Levia dona;
Qvæ tamen, æqvum si inveniant judicem,
Aurum, gemmas & purpuram ipsam
Vertant in ruborem.
Magnos parva decent,
magna parvos.
Vulgus infra suam hoc fidem reputat,
Non sapientes.
His qvæ vulgo parva, magni,
Qvæ illis magna, parvi
Æstimantur.
Nova Sententia,
Jmo vetus.
Ipsa Orbis Origine antiqvior,
Cum ipsis rerum orta principijs
Et eorum fine longior.
Sile jam lingva: imperat Modestia,
Negat amor, hæc paratus addere:
FILI VIRTUTIS, COR CIVITATIS, REIPUBLICÆ COLUMNA.
QVIS IMMORTALI TUÆ GLORIÆ
MORTALIS SUFFICIAT
PRÆCO.
Parce Domine rudi Pietati,
Hanc si qvid aliud commendat
Qvam Pietas,
Commendat
NIHIL.